



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.4. Sapientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

§. 4. *Sapientia?*

Quòd si resistis adhuc, en quartum amo-  
ris telum SAPIENTIAM , ut cetera, incir-  
cumscriptam ; imò , ut cetera, circumscrip-  
tam loco , tempore, carne. Utrumque me-  
ditare.

Primum ergò pone hominem vel Ange-  
lum , qualem Argum finxere Poëtæ, totum  
oculum , semper insomnem ; qui cuncta  
pervideat etiam absens , etiam in tenebris ,  
pandat arcana , pangat futura . simul om-  
nia comprehendat unâ facillimâ que cogita-  
tione ; cui totus orbis unus sit locus , sagax ,  
solers , artium omnium peritissimus , Aristo-  
tele subtilior , Platone divinior , Demosthe-  
ne facundior ; scientiam omnium habeat  
unus , & unius sit , quod omnes . En umbra  
sapientiæ Dei. Me miserum ! quid , quem ,  
cui compono ? hominem Deo , lucem re-  
nebris , à quâ distet intervallo non longo  
proximus , sed infinito dissitus . Deus enim  
non est cognoscens ; sed ipsamet ille cogni-  
tio , lumen indeficiens , actus purissimus ,  
simplicissimus , minimè operosus , cui vi-  
dere natura est , & insuper natura rerum  
omnium : cùm ideo tantum sint , quia vide-  
antur ab artifice scientiâ , per quam ille fu-  
tura

## DE AMORE DEI.

49

tura ordinat , præsentia regit, præterita re-  
fert, historiæ simul & prophetiæ faber , ya-  
tes vatum, ménisque mundi.

Jam verò si duplici titulo sapientes pla-  
cent, meriti atque consilii ; si prævalent for-  
tibus, qualis erit tibi Deus in hac sapientiæ  
plenitudine tantâ ? Quid si scias ( ecce alte-  
rum meditandum tibi ) quid si, inquam, sci-  
as totam, quanta quanta est , impendi tibi,  
vigilare; etiam cùm dormis ? ejusdem mini-  
sterio scientiæ *deducere velut ovem Joseph,*  
à scopo in scopum , errore viarum, ac laby-  
rintho vitæ, cuius ipse sit funis & finis ? erit  
ne tibi postmodum de sæculo timor , cui  
tantus in sæculo tutor ? Quid si scias eum  
uti venenis tuis, ut remediis suis? Vide quid  
dicam. Audisti quanto sit ei peccatum hor-  
rori. Nihilominus indulgentissimus pater  
convertit malum in bonum , & miraculo  
non tam scientiæ quàm amoris, ab hoste sa-  
lutis repetit salutem. *Omnia, inquit Augus-*  
*tinus , cooperantur in bonum, etiam peccata.*  
Quid tu ad hæc? adhucne truncus & stipes?  
adhucne præfers pulchro deformem , regi  
servum, potenti inutilem , sapienti stultum,  
benefico maleficum ; dico Deo mundum  
dico te ipsum ? Quid enim tibi melius aut

C

sapien-

sapientius Deo? Quid tibi pejus aut stultius te ipso? heu me! penè dixi; quid pro te stultius sapientiâ Dei? O novam amoris divini syntaxin! VERBUM INFANS Verbum, oculum Dei, totum anima, totum animi, totum sui. Infans, ultimam creaturarum, totum terra, totum carnis, totum tui. Improbe amor, quid petis amplius? exinanivit semet ipsum, imò transformavit semet ipsum, & factus est, si fas est dicere, nova chimera Dei, (*Clemens vocat hominem chimaram Dei,*) quod erat & quod non erat, Argus & cæcus; Argus, ut omnes oculos aperiret in cœlo tibi; cæcus, ut omnes oculos clauderet in cruce tibi, utrâque naturâ tuus. Quid deinde? Quid? audi verissimum epiphonema. Aut amans es, aut amens.

### §. 5. *Justitia.*

Exhibui sapientem, do JUSTUM, do fidem, do memorem promissi. Habet, habet libellum rationum, ubi Mardochæo suo scripta est merces; & quanta? & pro quantulo? Si rem quæris; cælum est, quod datur: si tempus; Æternitas: si pretium; mica. *Damicam, inquit, & accipe cælum.* (*Chrysologus.*) quid dico micam? dic, ut latro, verbum: fac, ut Anna, votum; perorabis. Etiam desiderium